

Theodulfus Aurelianensis, *Carmina LXXX*

De libris quos legere solebam et qualiter fabulae poetarum a philosophis mystice pertractentur

Namque ego suetus eram hos libros legisse frequenter,
Extitit ille mihi nocte dieque labor.
Saepe et Gregorium, Augustinum perlego saepe
Et dicta Hilarii seu tua, papa Leo,

5

Hieronymum, Ambrosium, Isidorum, fulvo ore Iohannem,
Inclyte seu martyr te, Cypriane pater,
Sive alios, quorum describere nomina longum est,
Quos bene doctrinae vexit ad alta decus.

Legimus et crebro gentilia scripta sophorum,

10

Rebus qui in variis eminuere satis.
Cura decens patrum nec erat postrema piorum,
Quorum sunt subter nomina scripta, vide:
Sedulius rutilus, Paulinus, Arator, Avitus
Et Fortunatus, tuque, Iuvence tonans;

15

Diversoque potens prudenter promere plura
Metro, o Prudenti, noster et ipse parens.
Et modo Pompeium, modo te, Donate, legebam,
Et modo Virgilium, te modo, Naso loquax.
In quorum dictis quamquam sint frivola multa,

20

Plurima sub falso tegmine vera latent.
Falsa poetarum stilus affert, vera sophorum,
Falsa horum in verum vertere saepe solent.
Sic Proteus verum, sic iustum Virgo repingit,
Virtutem alcides furtaque cacus inops.

25

Verum ut fallatur, mendacia mille patescunt,
Firmiter hoc stricto pristina forma reddit,
Virginis in morem vis iusti inlaesa renidet,
Quam nequit iniusti conmaculare lues.
Gressibus it furum fallentum insania versis,

30

Ore vomunt fumum probra negando tetur.
Vis sed eos mentis retegit perimitque quatitque,
Nequitia illorum sic manifesta patet.
Fingitur alatus, nudus puer esse cupido,
Ferre arcum et pharetrum, toxica tela, facem.

35

Quod levis, alatus, quod aperto est crimine, nudus
Sollertia caret quod ratione, puer.

Mens prava in pharetra, insidiae signantur in arcu,
Tela, puer, virus, fax tuus ardor, Amor.
Mobilius, levius quid enim vel amantibus esse

40

Quit, vaga mens quorum seu leve corpus inest?
Quis facinus celare potest, quod Amor gerit acer,
Cuius semper erunt gesta reiecta mala?
Quis rationis cum spiris vincire valebit,
Qui est puer effrenis et ratione carens?

45

Quis pharetræ latebras poterit penetrare malignas,
Tela latent utero quot truculenta malo?
Quo face coniunctus virosus prosilit ictus,
Qui volat et perimens vulnerat, urit, agit?
Est sceleratus enim moechiae daemon et atrox,

50

Ad luxus miseros saeva barathra trahens.
Decipere est promptus semperque nocere paratus,
Daemonis est quoniam vis, opus usus ei.
Somnus habet geminas, referunt ut carmina, portas,
Altera vera gerit, altera falsa tamen.

55

Cornea vera trahit, producit eburnea falsa,
Vera vident oculi, falsa per ora meant.
Rasile nam cornu, tener et translucet ocellus,
Obtunsumque vehit oris hiatus ebur.
Non splendorem oculis, non sentit frigora cornu,

60

Par denti atque ebori visque colorque manet.
Est portis istis virtus non una duabus,
Os fert falsa, oculus nil nisi vera videt.
Pauca haec de multis brevibus constricta catenis
Exempli causa sit posuisse satis!